



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Imperium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Rostriq; tridentibus, de quo in iis quæ circa Virgilianæ lectionis castigationem olim elucubravimus, plerique dubitant.

IMPERIUM. CAP. XVIII.

Imperium autem, aut summam rerum, speciosioresq; magistratus, aruspicina quoque per currum significavit. Nam Tarquinius cognomento Superbus cum adhuc Romæ regnaret, & Jovis Capitolini templum pene absolvisset, currum quendam fictilem Thuscis quibusdam ex Vejorum gente figendum locaverat, quem cum jam confectum figuli in fornacem intulissent, non ut reliqua fictilia humore expresso exilior evasit, quam impositus esset: sed fermentati panis instar intumuit, eoque magnitudinis concepto robore duritiaq; increvit, ut vix sublato fornacis culmine, parietibusq; disjectis, educi potuerit. Consulti super hoc aruspices, responderunt, apud quos ejusmodi currus aservaretur, felicitatem & imperium iis portendi.

NUPTIÆ. CAP. XIX.

Ejusdem boni ominis causa, & aucupanda felicitatis affectatione institutum apud veteres erat, ut **N**ova nupta curru vecta traduceretur: quod Hesiodus, sive is Aristophanes Grammaticus fuit, Scuto Herculis ita describit:

*Τὸ μὲν γὰρ ἐκὼν ἔειπεν ἄνθρωπος ἦγον
τ' ἀνδρῶν γυναικῶν, πολλὰ δ' ἕμέναι ὀρέσσει.
Hi curru in vestram geniali virginem amanti
Induxere viro, passimq; Hymen Hymenæus*

Excitus cantu.

Et ligneum sponsæ simulachrum Citheronis consilio fabrefactum, pro Asopi filia suppositum, & in curru constitutum ab Jove reperiatur: quo Junonem, quæ divortium fecerat, illuderet. Eo vero nuptiali curru tres tantum vectari solitos, Sponsam, quæ federet in medio, Sponsum & Parochum, Pausanias tradit. Parochum eum nimirum intelligens, quem nos hodie anuli maritalis Compatrem appellamus: *παροχοὶ γὰρ ὡς ἀδελφαὶ ὡς ἀπομομοὶ, καὶ οἱ συμποροδόντες τῇ νύμφῃ ὄντι τὸ ζεύγος καὶ ὡς ἀνυφοί.*

TERRA. CAP. XX.

Quod vero Cybelem curru in vehi finxerunt, cum eadem & tellus sit, terræ ipsius libramentum in aere pendens indicare Lucretius putat:

*Hanc veteres Grajūm docti cecinere Poëta,
Sedibus in curru bijugos agitare Leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes*

Tellurem.

Lib. 2.

Illud addam, ex iis quas rerum natura partes habet, uni illi veteres maternæ venerationis merito cognomen indidisse, quando ita hominum illa mater, ut cælum Deorum, habita est. Hæc nos nascen- *A Plinio lib. 7.* tes excipit, natos alit, semelq; editos sustinet semper, novissime complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens. Quod si quis causam quæsierit, cur turrato capite con- *Tum quod Kóβητα ἢ πῖα ἀνεστὶ τὰ κέβητα ὄνη, Cybeli Rheæ à montibus Cybelis dicta.* spicua sit, eam Lucretius rationem in hunc modum expressit lib. 2.

*Muraliq; caput summum cinxere coronas, Quo nunc insignis per magnas prædita terras
Eximius munita locis, quod sustinet urbes, Horrificæ fertur divina matris imago.*

In editis enim & excelsis locis urbes ponere antiquis mos erat, non tam alterius diluvii metu, qui **D**iu mortalium mentibus insedit, quam ut difficilius hostibus accessus foret.

BATTI NAVIGATIO. CAP. XXI.

Erat Delphis Batti effigies in curru, quem Cyrenenses dedicarunt, posteaquam is navibus in Li- byam trajecit. Auriga erat Cyrene: Libia vero capiti coronam imponebat. De Batto autem qui Thera in insula pulsus, Apollinis oraculo in Libyam profectus, Cyrenaicis rebus originem auspicatissime dederit, alio loco diximus copiosissime.

CIRCENSES. CAP. XXII.

Ludos Circenses per bigas & quadrigas, quæ tot numis signatæ sunt, significari, satis omnibus linnotuit, univèrsa Græcia cum Romanis eo spectaculorum genere per multa secula detentis.